

† A. R. P. Adalbertus-Basilius Musil (1897-1947)

(Vice-Provincia de Michalovce)



A. R. P. Musil decessit signifer nuper erectae Vice-Provinciae ritus Orientalis de Michalovce (Cecoslovachia).

I. — Confrater noster natus est die 3 Maii 1897 in pago Babice ad Brunnam, quod caput est Moraviae. Parentibus mox mortuis puer ab avunculo suo sacerdote adiuvabatur. Duodennis secundam classem nostri iuvenatus in Červenka intravit. In iuvenatu modestia, humilitate, diligentia eminebat. Nonis Augustis 1915 vota religiosa Ssmo Redemptori obtulit, dein studiis philosophico-theologicis in Obořiště incubuit, ubi scientia et virtutibus excellebat. Tempus a litteris liberum totum ferme coram Sanctissimo in sacello transigere solebat.

Die 10 Iulii 1921 sacro ordine presbyteratus initatus est. Studentatu Obořištensi relicto Socius Magistri novitiorum Budvicius est missus.

Cum anno 1922 duo nostrates (nunc Pl. R. P. Trčka et R. P. Stanislaus Nekula) primitias missionum inter derelictos montanos graecocatholicos in orientali plaga Reipublicae Cecoslovacae colligerent¹, R. P. Adalbertus Musil, animas salvare cupiens eundem laboris campum Alfonsianum anhelabat. Cui tamen muneri et oneri, ut erat humilis, imparem se putabat, praesertim cum etiam auditu, qui musicalis dicitur, prorsus fere careret, dum in liturgia ritus Orientalis cantus praecipuas partes tenet; facundia vero sacra haud communi pollebat. Desiderium quidem eius directori spirituali probabatur, rem tamen ipse director directe dirimere renuens, sortilegium suasit. Itaque in confessionali R. P. Musil sortem misit et responsum affirmativum recepit. Die 26 Septembris 1924 in collegium Stropkoviense pervenit et nomen sibi Sancti Basilii imposuit. Die 30 Martii anni sequentis iam primam missionem Graecocatholicis praedicabat. Anno 1926 Magister novitiorum ritus Orientalis renuntiatus est, quo munere 7 annis fungebatur, etiam postquam anno 1931 communitas religiosa ritus Orientalis in novam domum Michalovicensem transmigravit.

Anno 1933 lethali morbo (typho abdominali) correptus discrimen vitae superavit, sed valetudo eius exinde usque concussa erat. Gravissimis annis bellicis 1942-45 Rector (Hegumenos) monasterio Michalovicensi preeerat

¹ Cfr. *Analecta I* (1922), 86.

et amplam intensamque operositatem evolvebat. Proeliis circa saevientibus eodem loco cum paucis incolis intrepidus remansit et aestimationem praefectorum militum sibi nostrisque comparavit. Die 12 Maii 1945 cum alio confratre in Russiam Subcarpathicam profectus est, ut in oppido Chust fundationi iamdudum propositae adlaboraret. Ast rebus politicis aggravatis positio nostra ibi amplius teneri nequibat. Insuper denuo gravi morbo (typho exanthematico) affectus a Nonis Augustis usque ad d. 25 Septembris aegrotus decumbebat. Valetudine nondum plene recuperata Michalovce repetit. Brevi intervallo convalescentiae, ut aiunt, interposito missus est in Stropkov Superior novae domus (anterior enim domus et ecclesia, actionibus bellicis devastatae, erant derelictae), praesertim ut novam ecclesiam Sanctorum Cyrilli et Methodii fabricandam curaret. Cui operi hisce difficillimis temporibus P. Musil operam revera excessivam navabat, vires suas funditus exantlans. Vere 1947 viribus fractis decubuit. Medici tandem in Brunnae nosocomio tumorem im cerebro detegerunt. Sed pridie Idus Maias 1943 et Ascensionem Domini, aetate fere S. Basillii, cuius vitam imitatus erat, A. R. P. Musil sat repente moritur et in propinquo pago nativo Babice tumulatur.

II. – Praeter operosum munus Magistri et Hegumeni A. R. P. Basilius laborabat fere in 180 missionibus et renovationibus, 40 triduis et pluries denis cursibus exercitiorum spiritualium. Apostolatum virorum enixe agitabat. Congregationem virorum Marianam in Michalovce instituit, grandes peregrinationes virorum ad Sanctuarium quoddam Marianum ducebat. Pluribus annis collationes sacerdotum graecocatholicorum per singulos decanatus eparchiae quater in anno obibat et dirigebat verusque dux cleri graecocatholici fuisse dici potest. Magno cum fervore et zelo spiritum religiosum inter moniales ritus nostri alebat; eius cura et studio monasterium Ancillarum Immaculatae Virginis Mariae in Michalovce fundatum est. Apostolatum calami, quem vocant, ardenter promovebat. Seriem libellorum pro populo « *Blizše k Christu – Propius ad Christum* » inauguravit et ipse solus decem circiter libellos idiomate Ruthenico composuit, inter quos speciali mentione digna est maiuscula vita S. Gerardi, cuius cultor eximus P. Basilius exstitit. Librum Pl. R. P. Schrijvers « *Ma Mère* » in linguam Bohemicam vertit (*Má Matko*. 1^a ed. 1930, 2^a ed. 1935). Novam ecclesiam Michalovicensem, quamvis gravissimis belli temporibus, splendidis aris, iconostasi, ambone, confessionalibus exornavit. Sanctuario Stropkoviensi ardua fundamenta iecit et materiem ad aedificandum necessariam ex parte contulit.

III. – Spiritualem physiognomiam, ut dici solet, P. Basillii Musil comprehendere cupientium oculos statim austeritas quaedam ascetica ferit. Revera P. Musil nonnumquam agones virtutesque Patrum deserti et S. Basillii aemulari visus est. « Haec tanta solus P. Musil sustinere po-

test», animadvertisit quondam Pl. R. P. Trčka. Seipsum propemodum «cru-
deliter» mortificare et humiliare satagebat. Temporis avarum – ceteroquin
perinde ac S. P. N. Alfonsus – sese praebebat, memor, ni fallor, illius
Apostoli: «Tempus breve est» (I Cor 7,29). Ultra vires laborabat. Multa
insimul incepta agitabat, quae aliquando non satis organice componi
videbantur. Quibus de causis eius agendi ratio nonnullis parum ac-
cepta fuit.

Sed hic non erat nisi cortex eius vitae spiritualis. Focus autem ia-
cebat in intima familiaritate cum Salvatore Iesu et Immaculata eius
Matre Maria et S. Ioseph. Hac in re P. Musil procul dubio influxum
subiit doctrinae Pl. R. P. Schrijvers (cuius librum «Le divin Ami»
anno 1929 alacer novitio eidam monstrabat). Orationibus vespertinis in
communi finitis P. Basilius diu adhuc familiaribus colloquiis cuu Iesu
Eucharistico et Maria Sanctissima immorari assueverat; denique Viam
Crucis et – res ne apud nostrates quidem, ni fallor, obvia! – etiam Viam
Bethlemiticam obibat. Ex hoc intimo amore erga Iesum et Mariam eius
zelus animarum scaturiebat. Non obstante eius externa austernitate et quo-
dam expolitae urbanitatis defectu A. R. P. Musil apprime possidebat illam
«sympathiam», in qua Em. Card. J. H. Newman et post eum Em. Card.
D. Mercier secretum efficacis apostolatus Sancti Pauli suspiciati sunt.
«Omnis ad se attrahebat affabilitate, humilitate, praesertim vero sancti-
tate, quam quisquis in primo eius occursu percipiebat» – scriptum est
de P. Musil in necrologio, cuius titulus est «Umer geroj unii – mortuus
est heros Unionis» (Blagovestník, Prešov, 1947, num. de die 1. VI, p. 4).
Et parochus quidam confessus est: «XY est orator, Pater vero Musil
missionarius, qui animas convertit». Noununquam illum «raptorem ani-
marum – duševrat», i. e. Sanctum Iosaphat eius ratio agendi in memo-
riam revocabat. Quanta aestimatione quantoque amore cleri et fidelium
A. R. P. Musil frueretur, luculenter apparuit eo mortuo, cum fere in
omnibus parochiis graecocatholicis suapte sponte officia liturgica pro-
anima defuncti celebrata sunt. Hac occasione maxima quoque turba fide-
lium in nostram ecclesiam Michalovicensem convolavit.

Neque silentio praeteriri potest eius amor et affectus erga Ecclesiae
unitatem restaurandam et erga vineam Domini in plaga Orientali sitam.
Ardebat desiderio Iesum Christum eiusque salutarem doctrinam usque ad
extremam Vladivostok propagandi. Vix dixeris eum non fuisse de medio
illus populi, quem evangelizabat. Profecto egressus est de terra sua et
de cognatione sua et de domo patris sui et venit in terram quam mon-
straverat ei Dominus (cf. Gen 12,1), oblitus populum suum et domum
patris sui (Ps 44,11). Etiam inter confratres abstinebat domi ab utendo
lingua sua materna, ita ut Bohemicum paulatim fere oblitus sit. Congre-
gationem nostram, praesertim ramum eius Orientalem, sincera pietate

prosequebatur et quam plurimas vocaciones « innocentia aut poenitentia insignes » flagitabat.

O bone Pater, qui Deum, uti speramus, iam beatus intueris, in adimplendis excelsis votis, quae his in terris olim fovisti, intercessione Tua nos viatores adiuva.

I. M. exnovitius Patris BASILII



Stropkov Slovachiae. Nova ecclesia nostra ritus graeco-catholici ibi exstruitur et generosos benefactores exspectat.